

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8579

Auteur(s) : Goel de Baudemont [particulier]

Bénéficiaire(s) : Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1145-1170]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Goel de Baudemont confirme l'arrangement sur la terre de La Mésangère faite par son père Baudric de Baudemont (voir GALLAGHER, *Cartulary of Mortemer*, Act 83) et ratifie l'arrangement et la donation d'une terre à Brémule par Enguérrand de Renneville et son père Hugues.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 84, p. 249-251.

Dissertation critique

Cet acte confirme l'acte de 1145 (GALLAGHER, *Monastery of Mortemer*, Act 83).

Texte d'après a

[I]n nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Goellus de Baldemont notum fieri volo universis fidelibus tam presentibus quam futuris quod Belotus de Noiun filius Hiteri donavit terram de Musingera filiis Richardi de Plaisseto, Hugoni scilicet Radulfo atque Waltero, propter pacem restituendam inter se et illos qui propter interfectionem patrum suorum invicem dissidebant, quam terram Hiterus sibi et heredibus suis libere in perpetuum possidendam emerat exceptis .VII. solidis Rotomagi vavassoribus de Warclive et de Lisors, qui illam sibi vendiderant, et eorum successoribus singulis annis ad festum sancti Remigii persolvendis, quorum nomina sunt hec : Hugo Guerner, Robertus Marcafessa, Ebroinus de Altavenna, Hugo Pinel et Radulfus fratres, Radulfus de Mucegros. Eoque pacto data est terra filiis Richardi ut ipsi Deo et sancte Marie et conventui fratrum de Mortuomari eandem terram in elemosinam donarent ita ut ipsi fratres terram omnino libere in perpetuum possiderent exceptis .VII. solidis Rotomagi, his qui Hitero terram vendiderant et eorum successoribus singulis annis ad festum sancti Remigii persolvendis. Quod ita fecerunt. De hoc testes sunt : Radulfus decanus de Faisnes, Richardus sacerdos de Strepeneio, Nicholaus sacerdos de Salcei, Engelrannus de Wascuil, Robertus de Dangud, Walterus de Cantelu, Willelmus de Vendrimara, Osbertus de Manecavilla, Hugo de Lisors, Paganus de Coldrei, Arnulfus prepositus de Lisors, Robertus Pinel. Hoc autem totum concesserunt vavassores qui Hitero terram vendiderant, tam illi qui adhuc tunc temporis supererant quando donatio facta est quam successores eorum qui decesserant, quorum ista sunt nomina : Hugo Guerner cum filiis suis, Nicholao videlicet Ebroino, Radulfo et Odone, Radulfus Baignardus et Odo et Robertus fratres eius, Radulfus de Mucegros, Robertus Pinel, Richardus filius Radulfi Pinel. Hoc etiam concessit Postel, tenens terram Roberti Marcafessa qui Robertus unus fuerat de his

qui terram vendiderant, non solum quod ad ipsius Roberti hereditatem sed etiam quod ad suam propriam pertinebat, promittens tam ipse quam Hugo Guerner quod ad usum predictorum fratrum ipsam terram contra omnes tuebuntur. De hoc testes sunt : Hugo de Nuers, Robertus de Faines, Odo Bendengel, Willelmus Mansel, Nicholaus de Leri. Idem promiserunt et reliqui unusquisque quod ad se attinet. Sed et[iam] Engelrannus de Erneivilla calumpniam quam super quandam partem terre de Bremulia faciebat in presentia mea illis remisit necnon et .X. acras terre ad mensuram pertice XXIII pedum de feodo de Vileres iuxta terram de Bremulia ecclesie restituit et inde me fideiussorem constituit, teste Warnero fratre meo, Richardo de Warclive, Aelmo de Tilli, Waltero de Furgis. Quam terram Hugo de Ernivilla pater eius eidem ecclesie in elemosinam dederat, concedente Roberto filio suo primogenito sicut coram me et Goscelino Crispino et aliis multis. Testificati sunt : Hugo sacerdos de Erneivilla et prenominate Robertus et Hugo prepositus de Vileres, Turchetil Pance, Durandus de Sancto Germano. Quam et ipse Engelrannus postea propria manu sua super altare obtulit, testibus : Anschere et Eustachio de Salcei, Richardo de Nuniun, Willelmo Crespino et Roberto fratre eius, Richero et Rogero cementariis. Et hec omnia et quecumque de feodo meo racionabiliter adquisierunt et quecumque deinceps acquirere poterunt ego Goellus, concessione uxoris mee et liberorum et fratrum meorum pro salute anime mee et omnium parentum et amicorum meorum, illis concedo et ut in perpetuum rata permaneant sigilli mei impressione confirmo, promittentes ea nos ad opus ecclesie contra omnes homines tuituros. Testes sunt : Warnerus frater meus, Aelmo de Tilli, Walterus de Furgis.